



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 1. Figuræ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Phylactus, Hugo &c. quia Joannes solet in suo Evangelio, dum de seipso agit, humilitatis causâ nomen suum recitare. Sylveira hic.

*Unus ex vobis tradet me.* Joann. 13. 21. Et subjunxit: *erat recubens unus in sinu JESU.* v. 23. Ambrosius Catharinus: fortè extasim quandam passus est; & quasi extasi interceptus, cecidit super pectus Domini.

Puritatem puerilis ætatis usque ad senium custodivit illasam, innocentiaq; nitor em servavit in mente. S. Laur. Just. de eod.

Ille recubitus in pectore Salvatoris, ille divinus ardor, quem ex arcana ejus inspiratione concepit, ita in ejus visceribus omnium libidinum fomenta decoxit; ut corpus ejus, tanquam revera Spiritus S. templum, a cunctis vernaret æstuantis luxuriæ squaloribus defœcatum. Petr. Dam. f. 1. de eod.

§. VI.

S. Joannes Martyr.

*Potestis bibere calicem?* Matth. 20. 22. Et iste calicem bibit: non solum, quia in ferventis olei dolium missus, & propter insuperabilem evangelizandi constantiam in Pathmos insulam deputatus est; verum etiam quia (quod maximè prædicandum) ubi B. V., & Genitricis animam gladius pertransivit, ibi & anima vulnerata est hujus Dilecti. Sanctus Rupertus de Operibus Spirit. Sanct. c. 12.

Dabatur mihi intelligere, quòd Sanct. Joannes tantum dolorem sustinuerat de Passione, & morte, CHRISTI; & de dolore Matris; quòd existimo, eum fuisse plusquam Martyrem, dicebat B. Angela de Fulgino. In vita scripta ab Arnaldo Ord. Franc.

## TITULUS XXI.

## S. JOSEPH

Nutritius Christi.

§. I.

Figura.

*V*iditq; in somnis scalam. Gen. 28. 12. Natus CHRISTUS pupillus in hoc Sæculo, id est, absque carnali patre; illè B. virò (Joseph) pro patre in omnibus usus est, & in illa generationis scala, quæ per Matthæum textur, eidem Sanct. Joseph omnis humanæ opis indiga Humanitatis ejus natura, tanquam gradui supremo innixa est. Sanct. Rupertus in Joan. 1. 2. Scala illa Jacob est generatio JESU CHRISTI, & latera scalæ summi Patres, vel principes, sunt hujus generationis, atque David; ad quos promissio facta est, cum juramento ejus, qui repromisit. Supremus scalæ gradus, cui Dominus innixus est, iste est B. Joseph vir MARIE; de qua JESUS, qui vocatus CHRISTUS, natus est. Quomodo iste Deus, & Dominus, huic innixus est? utique tanquam tutori pupillus; quippe qui in hoc Mundo sine patre natus est. Ità innixus est huic B. Joseph, ut esset infantulo iste pater optimus. Idem de gloria & hon. Filij hom. in Matth. 1. 1. Idem similiter ait in Genes. 1. 7. cap. 22.

Sanctus Bernardus hom. 2. sup. Miss. comparat illum Joseph Patriarchæ.

§. II.

Sanct. Joseph dignitas, felicitas, delicia.

*DO* tibi partem unam extra fratres tuos. Gen. 48. 22. Sept. ad tibi partem eximiam. Considera, ætatem Patrem sic alloquentem Sponsam MARIE: en, signò specialissimò amorem meum in te ostendo. *Do tibi partem eximiam.* Do tibi partem unam; quam tui de manu Amorrhæi in gladio, & aris meo, in fortitudine mea; quam potentia brachij mei, à diaboli insidijs præveni; hanc accipe in sponsam. Alvarez illustr. 322.

*Gratia super gratiam, mulier sancta, & pudorata.* Eccl. 26. 19. Gratia, id est, res gratissima, summum bonum, beneficium, & felicitas. Quam felix ergo fuit Sanct. Joseph, cui à DEO obigit sponsa sanctissima; imò Virginum, & Sanctorum omnium, regina B. V. MARIA gratiâ plena. Cornelius hic.

*Jacob autem genuit Joseph virum MARIE.* Matth. 1. 16. qui jure, verèque, vocatur Pater Christi: quia Christus fuit fructus conjugij Joseph, & MARIE. Natus enim in utriusque conjugio, jure utriusque adscribendus est: quia Joseph, per conjugium corporis, B. Virginis quasi dominus effectus est: ergo & fructus corporis B. Virginis, putà CHRISTUS, ad Josephum pertinuit. Licet supernaturaliter natus sit CHRISTUS, non virtute Josephi, sed Spiritus Sancti, fecundantis Virginem. Nam leges, nata in agro meo sterili supernaturaliter, mea est.

2. Quia

